



H. Sax. C.
947

2

Iusta Funebria,
ILLVSTRISSIMÆ ET PIENTISSIMÆ
PRINCIPI DOMINÆ,
Dn. SIBYLLÆ ELI-
SABETHÆ,
CELSISSIMI PRINCIPIS
DOMINI,

Dn. IOHANNIS GEORGLI,
DVCIS SAXONIÆ, POSTVLATI ADMI-
NISTRATORIS EPISCOPATVS MERSEBURGEN-
SIS, LANDGRAFII THYRINGIÆ, MARCHIO-
NIS MISNIAE, VXORIS SVAVISSIMÆ,
S. ET IMMORTALIS MEMORIAE.

a. d. 25. Februarii, ANNO CHRISTICO 15 cVI. PLAVIAE,
quæ Variscorum est Metropolis, solenni Actu in signum humilimæ cōmittendæ
Ministerii, & Senatus, totiusq; Ecclesiæ ibidem nomine, non
sine lacrymis soluta,

à
MATTHIA HOE AVSTRIACO, S. THEOL.
Doctore, Ecclesiæ Plaviensis Pastore, & vicinarum
Superattendente.



Lipsiæ ex Officina typographica Abrahami Lambergi.

ILLVSTRISSIMO ET CELSISSI-
MO PRINCIPI AC DOMINO,

Dn. FRIDERICO,
DVCI VVIRTEMBERGENSI,
COMITI TECCENSI ET MOMPELGAR-
TENSI, DOMINO IN HEIDENHAIM,
Domino meo clementissimo,

*Gratiam & pacem à Deo Patre, per Fi-
lium Iesum Christum, in virtute Spiritus
sancti, humiliter precor.*



A est, Illustrissime
Princeps, in animis
piorum parentum er-
ga liberos, amoris re-
ligiosa vehementia,
ut coelū prius ipsum,
quàm ^{σοφῶν} illa expu-
gnari posse videatur. Nobilissimus cer-
tè, & omnium linguis laudatissimus
Patriarcha Iacob, tam amarè deflet obi-
tum (quem opinabatur) Iosephi, ut hoc
nomine ad inferos se cum dolore de-
scensurum querulari non dubitet.

A 2

Nul

Nullum itaq; dubium, cum Cels. T. de præmaturâ Filia Generosissimæ, D. D. SIBYLLÆ ELISABETHÆ ex hac valle lachrymarum migratione certior fieret, quin gravissimè perculsa, & in intimis fibris percussa fuerit. Neq; enim Magnanimi sed Stoici planè hominis imaginem refert, qui proximorum suorum morte nihil commovetur: Quemadmodum apud profanos scriptores, exempla benè multa reperiuntur; & tantum non maximè celebrantur.

De Æginensibus refert Frontinus lib. 4. c. 5. cum à Viathotis liberi & conjuges cederentur, præoptâsse eos spectare supplicia pignorum suorum. De Massiliensibus narrat Valerius lib. 2. c. 1. quòd ante portas eorum duæ arcæ jaceant: una, quâ liberorum, altera, quâ servorum corpora ad sepulturæ locum plaustris devehuntur, sine planctu, sine luctu, sine omni lamentatione; & funeris dies
insu

DEDICATORIA.

in super domestico sacrificio, adjectoq;
necessariorum convivio finitur. Eo-
dem Valerio teste, Licii, si luctus iis inci-
dit, muliebrem vestem induunt, ut de-
formitate cultus commoniti maturius
stultum projicere mœrorem velint.

De Augusto scribit Pontanus, quod
Generorum, Nepotum, sororis, & libe-
rorū mortes imperterrito, & impertur-
bato animo pertulerit. Galieni Impera-
toris vocem, minùs appositè usurpatam
commemorat Trebellius Pollio: Certior
enim factus de obitu Patris, dicebat:
Sciebam Patrem meum esse mortalem.

Non equidem inficias eo, decere Chri-
stianos, ut & ipsi animo equo casus ejus-
modi ferant: neq; desunt exempla san-
ctissimorum virorum, Abrahami, Davi-
dis, Hiobi, & aliorū, qui patientissimos
hac in parte se exhibuerunt: verum non
eo, quo prænominati, modo & ratione.
Hi nutū Dei altissimi & animæ beatitudi-
nem

Pontanus
de Forti-
tud. Do-
meit. l. 2.
c. 19.

E P I S T O L A

dinem pensitârunt, illi gloriolam vanam
ex contemptu mortis affectârunt.

Quapropter nemini mirum videbitur, si T. Cels. cum generosissimâ conjugē haud exiguo mœrore ob funus filiae ter optimæ, felicissimæ, affectam intellexerit. Princeps enim erat omnium virtutum splendore illustrissima, Parentum soboles exoptatissima, Terræ hujus Patrona clementissima: Quo nomine, quotquot boni fuere, amarissimis lacrymis ipsam defunctam plauerunt, & redivivam desiderârunt. Cumq; & Variscia nostra damnum ingens morte hac inopinâ perpeffa sit, æquitas sanè postulavit, ut & nos communem luctum lugeremus. Et quidem bonâ fide testari possum, status provinciales Territorii hujus vehementissimè doluisse: ac ad celebrandas exequias, Ecclesiasticos & Politicos, nobiles & ignobiles magno numero advolâsse.

Credo

DEDICATORIA.

Credo autem, Illustrissime Princeps, summopere placere T. Cels. quòd tam feris & amaris lachrymis Filiæ tumulus carissimæ rigatus, & non nisi madidis oculis, non nisi horrente corpore, pulsus campanarum auditus, sermo sepulchralis habitus fuit.

Cumq; oratiunculam sequentem publicè in magnâ frequentiâ recitatam, ex Ecclesiastico, equestri, & senatorio ordine haud pauci juris publici faciundâ, indefinenter instarent: nolui petitioni honestæ morosè reluctari, sed typis in nomine Domini committendâ, Tuæq; Illustr. Cels. humiliter consecrandam duxi. Ecquis enim, nisi invidiæ œstro percitus, improbet, infantium etiam linguâ memoriam pientissimæ Principis celebrari? Memini ante sesquiannum Hymenæum in Nuptias Defunctæ Principis b. m. ex Voitlandiæ oppido uno prodiisse, & non ingratum fuisse:
Prode

EPIST. DEDICAT.

Prodeat ergo nunc etiam lessus ex ejusdem oppido (quod primariū habetur) altero, quia temporis injuria cœlestisq; majestatis providentia aliud scribi jam non patiuntur. Tuam verò, Illustrissime Dux, Celsitudinem humiliter oro, ut pagellas quales quales clementi animo suscipere, meq; ac mea studia tibi commendatissima esse, clementer patiaris.

Quod superest, CHRISTVM IESVM, Servatorem nostrum unicū, summā animi devotione rogo, ut T. Cels. cum totā inclutā laudatissimā Domo VViretembergica, salvam & florentem diutissimè conservet. Perscriptum Plaviae a. d. 6. Martii, Anno Christi 1606.

T. Illustriss. Celsit.

humiliter addictissimus

Matthias Höe D.

ORA

ORATIO FV-
NEBRIS,

Recitata Plaviae, a. d. 25. Februarii, horâ
octavâ matutinâ.

Heu, Pastores Reverendi, E-
quites strenui, Doctores clarissimi,
Senatores prudentissimi, ceteriq;
omnium ordinum Auditores specta-
tissimi! Eheu, quàm horrescunt
animi nostri, ad conventum hunc lugubrem!
mœret nunc tota Saxonia, quæ tantis nuper ab-
undabat gaudiis: Flet Ecclesia pignora sua, &
ubertas lacrymarum, in maxillis ejus. Ereptus
est, ante annos sesqui quatuor FRIDERICVS
VVILHELMVS, DVX SAXONIAE, &c.
Dominus quondam noster clementissimus. Eheu
quantus Princeps! quantâ pietate, quantâ sapi-
entiâ, quantâ fide coruscus! Evocatus totidem
ab hinc mensibus, JOHANNES, FRIDERICI
VVILHELMI FRATER GERMANVS: & ve-
rè Germanus: Ejus enim virtutes excellentissi-
mas, ejus pietatem religiosissimam, ejus fidem in-
tegerrimam felicissimè emulatus, uberrimè asse-
cutus

B

cutus

O R A T I O

cutus erat: adeoq; thesaurum amissum Sacro Romano Imperio, & universo orbi Christiano quasi restituerat. Sed eheu, quantillo tempore! quantillo momento! uterq; centum annis in terrâ superesse dignus erat; sed uterq; præmaturè ex valle lachrymarum concessit. Infandum Auditores, quem luctum, geminata hæc calamitas, non nobis tantum, sed & exteris regionibus pepererit: Et meritò quidem: cum non una tantum maxilla, sed utraq; percussa sit, quia Germanus uterq; occubuit.

Ambros.
Tom. 3.
fol. 4.

Hinc meritò ululant abietes, quia Cedri ceciderunt: Hinc meritò plorat Ecclesia, & fletum genæ ejus, velut fluentibus quibusdam pietatis stillicidiis exudant: Neq; dum mœroris istius finis: quin potius incrementum, ita volente Divino Numine deprebenditur: Ecce enim in gremio nostro funus lachrymabile! Ecce in horto Electoratus, occasum floris nitidissimi! Ecce in palatio Ducali odorem mortis acerbissimæ! Edormivit nimirum miseriæ somnum Illustrissima quondam, & Generosissima D. D. SIBYLLA ELISABETHA, Cellissimi Principis D. D. IOHANNIS GEORGII, Ducis Saxonix, Postulati Administratoris Episcopatus Merseburgensis: Landgra-

vii

vii Thuringiæ, Marchionis Misniæ, uxor desideratissima, Domina nostra clementissima: quo casu dies votorum nobis conversi sunt in lacrymas: Cum enim ante sesqui annum, Interprete me pro Cathedrâ, pleriq; audiretis, adventare novam hospitam ex agro VVirtembergico celeberrimo: accedere terræ huic novum præsidium, exoptatum solatium, immortalẽ Deum! quanti gaudiorum tunc strepitus! quante acclamationes, quæ vota, quæ gratulationes, qui plausus, qui jubili passim ore, corde, & corpore edebantur! Et nemo facile nostrum non maximè diuturnam, immò sempiternam banc terræ felicitatem exoptavit: quanto proinde major ob adventum novellæ columnæ surgebat in animis bonorum læticia, tanto acerbior, & tristior nunc obvenit nobis ex abitu ejus mæstitia. O diem illum calamitosum Saxonie, funestum VVirtembergæ! arduum bonis, luctuosum omnibus! Civitates multe, quasi senio confectæ squalent: Scholæ mærent, municipia tristantur, coloniæ condolent, nulla societas, nullum colloquium, quod non Generosissimam Ducissam doleat ereptam, desideret redivivam. Videor mihi Dresdæ & Stutgardie, videre Ecclesiæ lugentis faciem, Antistitum, ac utriusq;

O R A T I O

Aulae pullas vestes, atratos parietes, demissos vultus, audire lugubres cantus, sermones sepulchrales, populi ejulatum, querelas pauperum, lacrymas divitum, fletus principum, singultus subditorum. Communis enim à DEO inflicta est calamitas, quam non in fimbriâ vestimenti, sed in intimis præcordiis, quotquot boni sumus, luculenter persentiscimus. Hodie nimirum Fribergæ, (quæ amplissima totius Electoratus urbs habetur.) Fribergæ inquam (ubi Mausoleum illud Saxonicum) hodie ad sepulcretum portatur, & in dormitorium colligitur generosissima Princeps nostra prædicta: hodie passim mors hæc ominosa amarè defletur. Decet itaque, ut & in hoc oppidulo stipendiarias lacrymas exolvamus, tributumq; debite recordationis, sermone vivo, deponamus. Omnibus enim temporibus, justa de mortuis principibus solenniter soluta esse, ex Scripturis prophanis, & Ecclesiasticis, manifestè patet. Nihil autem tam est firmum & solidum, nihil tam ab oblivione res & personas vindicans, quam literarum monumenta. His namq; teste Macrobio, memorie fulcitur aternitas, & hominum conservatur immortalitas. Hæc vitam propè aternam, hæc, ut absentes adesse, mortui vivere, horumq; quodam.

quodammodo gradibus in cœlum videamur ascendere, efficiunt. Nihil Mausolea sola ad defunctorum recordationem, sed ad Magnificentiam tantum indicandam prosunt: nihil ad hoc statuae, aut imagines commodant: solam artificum industriam commendant, ac inani oblectatione oculos pascunt: Spectatorem autem de virtutibus parum certiores faciunt. Neque Cippi & obelisci sepulchris impositi multum hoc nomine conducunt: angusti enim loci unius cancellis constringuntur, unoque saltem loco spectantur, quin & vepribus nonnunquam ac dumetis sepi obscurantur, aut vetustate consumpti collabuntur. Monumenta verò literis & scriptis comprehensa, ad omnem posteritatem transmittuntur: toti orbi legenda, & spectanda, publicè exhibentur, adeoque ad immortalitatem comparandam fructuosissime & commodissime eduntur. Hoc fine & Ego nunc provinciam istam in me suscepi, ut demortua Princeps Illustrissima, æternæ inter homines memoriæ consecraretur. Et sane optarim, cum per vos, & consuetum morem, in solitariâ cogitationum mearum caveâ continere, meque musitabundo luctu solum macerare non liceat: sed dicendum mihi sit, optarim inquam, ut in consessu hoc

O R A T I O

digna, & Principe defunctâ optimâ, & vestris
 auribus oculisq; Lectorum proferre: in laudibus
 Principis nostræ celebrandis, & animis flentium
 erigendis, tantam dicendi dexteritatem adhibe-
 re possem, quantam divinæ eius virtutes flagi-
 tant, quantam ejusdem, non quidem nature præ-
 propera, nobis tamen omnibus intempeſtiva, mors
 tristiciam attulit: Video enim hoc nomine singu-
 los veſtrum adesse, & honorificam defunctæ Prin-
 cipis nostræ memoriam expectare, video talem
 vos consolatorem, laudatorem, & præconem de-
 siderare, qui medelam malo adhibere, vulnus in-
 flictum sanare, dolorem lenire, qui virtutes di-
 cendo assequi, vitamq; & imaginem demortuæ sic
 proponere queat, ut solide expressa non nudè ad-
 umbrata, ut planè depicta, non obiter narrata,
 ut deniq; oculariter spectata, non eminus audita
 videatur. Verum enim verò, inopinata, & acer-
 biſſima tantæ Heroinæ valedictio, tam ingenti do-
 lore me ipsum afficit, tantâ vi lachrymarum me
 obruit, tanto mœrore me conficit, ut borrente
 animo, ingenio labante, memoriâ vacillante, lin-
 gua, fidelis alioquin pectoris administra, & in-
 terpres, palpitans hærescat, & suis viribus desti-
 tuta, merito expectata oratio languescat: novi-
 stis

F V N E B R I S.

stis enim, mœrorem animi hoc habere peculiare,
 ut non tantum præcordia, sed & fauces quasi
 comprimant, & linguam præcludant. Quia tamen
 aliquod pietatis & συμπαιδείας humilime indici-
 um, publico vestro nomine, exhibere compellor,
 agite Auditores, & equàm mente aures vestras ad
 semiborula spacium, elingui mihi, & balbutienti
 præbete: quodq; panegyrico huic sermoni deesse
 existimabitis, tum infantia & tenuitate mea, tum
 gravissimo dolori imputate. Dicam autem, eâ,
 quâ fieri potest, simplicissimâ, & humi repente
 brevitate, quo cumulo laudum, & splendidissima-
 rum virtutum, memoria Defunctæ Illustrissimæ
 Ducissæ nostræ respondeat: Dicam, quid præma-
 tura quidem, at beata eius mors, (si tamen mori-
 tur, quæ immortalitatem consequitur) universis
 post se relictis innuat ac portendat. Neq; verò
 velim, quenquam vestrum opinari, quasi adulan-
 di gratiâ, aut temerè hoc officium suscipiam:
 Defunctorum enim gratiam aucupari nimis se-
 rum est, inquit Nazianzenus: Et video asidere
 hic, qui instituti mei Autores, Fautores, Impul-
 sores, & Suasores extitere: qui pietatis ratione,
 & ipsius denatæ Heroine meritis, hanc pompam à
 nobis lugubrem, & alia, suo quodam jure postu-
 lari,

D. Nazianz. orat.
 25. in laud.
 Gorgon.
 fol. 439.

O R A T I O

lari, existimârunt. Adeste ergò Viri Amplissimi, & favore, candore, ac benevolentia vestrâ imbecillitatem meam sublevate: Totis annitar viribus, ut vos auscultationis hujus non valdè poenitere possit. Et quidem campus se offerret longè uberrimus, de laudibus Principis nostræ generosissima differendi: Nec defuturum esset longa orationis argumentum, si externis eam saltem ornamentis, insignire vellem: sed intra promissæ brevitatis cancellos me continens, summa duntaxat rerum vestigia persequar.

Genus proinde, & patriam, quot attinet, novistis, Eam ex inclutâ prosapia Ducatus VVirttembergici oriundam: quæ Domus & regio VVirttembergica, ut tanquam fidei & virtutis assidua nutricula, ad cælum usq; præ aliis extollatur, dignissima est. Obsecro enim, unde Academia Leucorea celeberrimæ (quam nunquam sine summa nomino reverentiâ) semina? Unde Regionibus hisce, & aliis, Ecclesiastici Antistites, & Reformatores idonei? Unde Imperio Romano, ad continuationem belli Antiturcici subsidia? Nonne ex Domo VVirttembergicâ? ubi hætenus pietas? ubi illesa in confessione puriore virginitas? ubi Principum eximia dignitas? ubi justiciæ administrate

F V N E B R I S.

*strate religiositas? ubi omnium frugum ubertas?
ubi nectaris & ambrosie fertilitas? Nonne in
agro, & Territorio VVirtembergico? Hac ergo
patria gaudebat Defuncta Ducissa nostra Celsissi-
ma: ut merito vel hinc laudem insignem repor-
tare queat: Neq; enim parum refert, clara & bo-
na patria ortum, si praesertim, de Principibus, ser-
mo instituat.*

*De Socrate refert Laërtius, quod pro tribus
naturæ donis gratias egerit: quòd videlicet homo,
quòd Græcus, quòd Atheniensis natus esset: Lon-
gè rectius & commodius Defuncta nostra cle-
mentissima Domina gloriari: & Deo $\chi\alpha\epsilon\iota\sigma\eta\epsilon\iota\alpha$
ponere potuit, quòd homo, quòd Germana, quòd
VVirtembergensis nata fuit: Et sanè dignissima
extitit, quæ tali patria divinitus bearetur.*

*Ceterum, parentes si spectes eius, & prosa-
piam, gente & mente defunctam nostram Prin-
cipem, generosissimam fuisse reperies. Incolumis
adhuc, uti speramus, vivit Pater, FRIDERI-
CVS, Dux VVirtembergensis, Comes Teccen-
sis & Mompelgartensis, &c. Princeps omnium
bonorum testimonio laudatissimus: cujus tum
virtutes aliæ, tum vel maxime insignis pietas, non
sub operculo recondita, sed jamdudum in propa-
C tulo*

C

tulo

O R A T I O

tulo publicè & spectata, & decenter prædicata est. Hic enim a vitam fidei sinceritatem constanter amplexus: hic meditatione sacrarum literarum vehementer delectatus, hic ad promovenda studia pietatis apprimè paratus, hic ad conservandum florem Academiae Tubingensis inclutæ, usq; huc assiduus: hic ad propagandam veritatem cœlestem nunquam non avidus fuit: quod tum ex aliis indicis, tum præcipuè ex colloquio Mompelgartensi inter D. Jacobum Andrea, Lumen illud Germaniæ, & Theodorum Bezam, pestem Ecclesiæ, habito, luculenter apparet: Huic enim Princeps ipse interfuit, & præfuit: huic auctoritatem præsentia & præfatione sua, insignem conciliavit. Neq; in nupero colloquio Ratisbonensi nullas partes habere voluit: sed D. Andream Osiandrum: & D. Felicem Bidembachium, Magnorum Parentum magnos, & de Ecclesia Christi præclarè merentes Filios, ablegavit: ut ex ore ipsorum, quid boni dictum, & factum accuratiùs percipere, & si victoriam nos obtinuisse audiat, tantò certius credere, tantò impensius gaudere, universaq; Ecclesiæ gratulari possit. Hoc Parente genita fuit Princeps nostra Illustrissima. Mater itidem eius superstes adhuc est, Celsissima Domina,

mina,

*mina, Domina SIBYLLA, Ioachimi Ernesti, Principis Anhaltini laudatissimi, p. m. Filia Fœmina, pietatis & virtutum præclarissimarum studiosissima: Hac genitrice, Sibylla nostra Elisabetha generosissima decimo die Aprilis, horam circiter octavam vel nonam antemeridianam, Anno Christi supra sesqui millesimum octuagesimo quarto, in lucem edita, & paulò post, in ætissimum DEI fœdus, per saluberrimum baptis-
mi fontem cooptata est. Ex Prosapia ergo clarissima ortum traxit: Paternam enim stirpem, Ludovici, Christophori, Friderici, Maternam verò, tum aliorum Principum Anhaltinorum, tum verò Georgii illius, Episcopi religiosissimi, & Doctoris Theologi excellentissimi, egregia merita, in summam honoris & admirationis sedem extulerunt: Quid obstat Auditores? quo minus cum Lyrico de nostra Principe ominer:*

*Fortes nascuntur fortibus, & bonis,
Est in juvenis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem
Progenerant Aquilæ Columbam.*

*Sed eheu surculum istum optimum, & desideratissimum, tam citò emarcuisse! quantus tremor, circa Domini parentis suavissimi, circa Domine Matris carissimæ præcordia, hodie præsertim, ex-
C 2 urget?*

urget? Non abstinebunt, quin largissimas lacrymas effundant. Transeo autem ad alia.

Formâ sanè fragilius nihil ferè est: at si boni eâ præcelluerint, si Principes, encomio inde debito exornari possunt: Grator est (enim) Pulchro veniens de corpore virtus. Et profectò, tanta, omnium testimonio, inerat Ducissæ nostræ in toto corpore pulchritudo, tanta venustas, tanta frontis liberalitas, tanta genarum & membrorum generosa gracilitas, ut non hominum, sed Deorum quasi proles, Illustrissima SIBYLLA ELISABETHA haberetur: Non erat similis Vetustinæ, de qua Martialis lib. 3. testatur, quod habuerit tres dentes, tres capillos, pectus cicadæ, crus formicæ, rugosam frontem, mammas aranearum cassibus pares, os rictibus Crocodili simile, cantum ranarum, & culicum, noctuæ visum, birci fœtorem, & alias deformitatis notas: non erat Philene, de qua idem Martialis ait lib. 1.

Oculo Philenis altero semper plorat:
Quo fiat istud modo quaritis? Lusca est.

Et lib. 2.

Cur non basio te Phileni? Calva es,
Cur non basio te Phileni? Rufa es,
Cur non basio te Phileni? Lusca es.

Absit: absit longissimè: quin potiùs ea lineamentorum

torum

torum præpolluit elegantia, ut quod Propertius de Hippodamia, nos aptius de nostra Ducissa, unâ tantum mutatâ voculâ dicere queamus:

Ejus erat facies maculis obnoxia nullis.

De Zenobia Orientis Regina, scribit Franciscus Petrarca, quòd incredibiliter formosa, & tanto nitore dentium fuerit, ut inter loquendum ridendumq̄, non dentibus, sed candidis margaritis plenum os habere videretur. Saram & Rebecam, non vulgari corporis pulchritudine ornatas fuisse, ex sacrâ historiâ luculenter patet. Nostra SIBYLLA ELISABETHA, nec Zenobia, nec (ut alias, quo ad formæ tantum præstantiam, comparationi huic addam) Semiramidi, nec Sifigambi, nec Terentiæ, nec Lucretiæ, nec Livie, nec Cleopatræ, nec Saræ & Rebeccæ, venustate & pulchritudine cedit; immò plerasq̄ harum, mente præsertim & pudicitia antecelluit: quod cum ingenti cordolio, dubio procul, sæpius meminisse soles, JOHANNES GEORGI, Princeps Illustrissime, Vidue mœstissime: & Tui causâ nunc omnes, qui tum alibi, tum in solennitate nuptiarum, & nuperrimo conventu provinciali, viderunt conjugem tuam, fronte serenissima, oculis gratissimis, totoq̄ corpore generosissimam, & florentissimam

C 3 fœmi-

O R A T I O

foeminam, quæ centum annis, vel ob solam pul-
 cbritudinem superesse merebatur. Saxo Gram-
 maticus, lib. 8. Dan. historia commemorat, SVA-
 VILDAM Reginam, cum loris exposita esset, equi-
 nis calcibus obterenda, horrore fuisse ipsis jumen-
 tis, quæ artus eximio decore præditos lacerare no-
 luerint: O truculenta mors, ipsis jumentis, & be-
 stis immanissimis insanior, & ferocior! An non
 SIBYLLA ELISABETHA nostra, gente, mente
 & corpore Suavildâ pulchrior? Et tu tamen non
 horruisti eam deglutire? O AVDACIAM! ô ne-
 candi libidinem plus quàm Scythicam! ô Parcas
 Diras! quàm nulli etiam florentissimæ etatis ho-
 mini parcitis! quàm fatum vestrum inevitabile,
 quàm immutabilis vestri propositi executio!
 quàm surdas aures, quàm saxea pectora fovetis?
 Quæ causa vos impulit, quòd Principem banc no-
 stram in ipso præsertim annorum vigore præripu-
 istis? sed nolo ira adversus vos concepta, vela
 pandere: tribus nunc verbis repeto, alio iterum
 nomine Principem nostram claruisse, corporis
 nempe summâ elegantia. Hisce autem formæ ex-
 ternæ crepidinibus concludi se minimè passa fuit:
 Neq; ista ideò protuli, quasi præcipuam inde laudis
 materiam peterem: similiter enim facerem, ac si
 ab

ab

ab umbra tantum statuam, aut ab unguibus duntaxat leonem laudare vellem: Majora restant, & potiora, quæ immortalitatem gloriæ, vel maximè Principi nostræ conciliant. Spiritus sanctus illas commendat mulieres, quæ occulto, omnique corruptela carente ornatu interno sunt conspicuæ: ita ut Spiritus in ipsis sit placidus ac quietus: qui in oculis Dei res magnifica & sumtuosa censetur, 1. Pet. 3. v. 4. Jubet idem per Paulum Apostolum mulieres profiteri pietatem per bona opera: manere in fide, dilectione, sanctificatione, & castitate, iisque virtutibus splendorem Mulieris Deo placentis plenissimè absolvi statuit, 1. Tim. 2. v. 10. & 15.

Emoriar Auditores, nisi in defuncta nostra Muliere Illustrissima, exactè singula hæc requisita reperiantur: pietatis studium hereditario amore, sic in sinu & gremio Parentum edocta, devotissimè excoluit, adeoque vestigia eorum diligentissimè pressit: orationibus publicis & privatis, horas benè multas impendit: Verbo Domini aures patulas, animamque discendi cupidissimam præbuit: DEVM peccatis horrendis ledere, conscientiam teneram sauciare, piaculum duxit: aliis religioso Jehovæ cultu præire, vel maximè studuit:

O R A T I O

duit: fœdus in baptismo factum violare, accuratissime cavuit: sacratissimâ Cœnâ Dominicâ sepius salutariter frui, unice exoptavit, Ministros & Angelos Domini amare, ac fovere, promptissime perrexit. Magnum hoc, & verè magnum opus, ad omnium stuporem; eoq; excellentiorem Ducisse nostræ gloriæ parit, quo pietas virtutes alias infinitis parafangis antecellit: quo dignius sola Lemniscatæ palmam gignit. Rectè enim D. Ambrosius alicubi habet: Pietas amica est Parentibus, grata Deo, Dominum conciliat, necessitudines fovet: Dei cultura, merces parentum, filiorum stipendium: pietas inquam, justorum tribunal, egenorum portus, miserorum suffragium, indulgentia peccatorum. Quid magis Saram, quid Rabelem, Rebeccam, Mariam, Martham, Elisabetham, & alias commendat, quàm devota erga Deum pietas, & religiositas. Quâ ergo virtute aliæ claruerunt, eâdem nostræ Princeps triumphare maximopere contendit. Iubeo hic testari Tempa Stutgardie, Sacraria Dresde: Et testabuntur id ultrò Aule utriusq; Concionatores, quibus animam epulo verbi divini pascendam concedidit, fidelissimi; Vos imprimis Theologi Clarissimi, Polycarpe Lysere, & Felix

Felix

Felix Bidembachi, Doctores excellentissimi: Dicitur quæso, an non vestrarum concionum auscultatrix fuit longè avidissima? nonne sectatrix earundem promptissima? nonne Ministerii vestri observantissima? Video, Auditores, mirari vos hanc pietatem, video ingemiscere vos, tam piam Principem ita subito è vivis sublatam, & fatali jaculo percussam esse. O separationem duram, ô avulsionem immaturam! ob quam omnes ferè anguli boant, omnes boni attoniti stupent! passim enim Princeps nostra, à comitate, à clementia, à mansuetudine, ab humilitate commendatur: passim misericordia ejus erga pauperes celebratur: passim fides erga Maritum Principem, & amor intimus prædicatur: passim erga parentes obedientia erga socrum serenissimam debita reverentia, erga affines, cognatos & cognatas casta benevolentia laudatur. Audias nunc ubi vis, eam omnium virtutum exemplar vivum extitisse: Audias nunc fletum pauperum, ob amissam Thabam: ploratum subditorum, ob ereptam Abigaillem: Audias ingentes lacrymas Vidui Celsissimi, ob amissum fidele adiutorium, ob corculum ablatum castissimum, selectissimum. Possem differere fusius, de summâ, quam fertur in morbo exantla-

D

to

O R A T I O

to exhibuisse, patientiâ: de stupenda in fide erga Deum constantia: de animosa & Christiana Heroïna digna mortis tolerantia: quam capite quasi inclinato vocavit, non formidavit, quam sibi salutarem, non noxiam fore speravit: Verum enim verò, vix continere me possum, quin totus conticescam: Principem hanc bis præditam virtutibus splendidissimis, adeo inopina morte à nobis recedere, adeo præmaturè huic mundo valedicere. Annos enim ætatis viginti & unum, menses novem, dies undecim, horas sex vixit, quantillum queso tempus tanta Ducissa! Et quod maxime dolendū, septuaginta duntaxat septimanas Principis nostri suavissima conjunx fuit: quibus elapsis, dilutâ & probè expurgatâ conscientiâ, placidissimè in Domino 20. die Ian. horam circiter 3. pomerid. Anno 1606. Dresde, & quidem improles, obdormivit, thoro principali, & universæ vitæ humanæ ultimum vale dixit: Eheu statum hunc, ipsi quidem felicissimum, nobis autem miserimum! Eheu vices tuas Illustrissime Dux JOHANNES GEORGI durissimas! Quis te dolere vehementissimè, non credat?

Non (enim) dolor est major, quam cum violentia mortis
Unanimi solvit corda ligata fide.


Si

Si mortuam Murenam fleuit Hortensius multos dies atratus, si Abraham Saram, si Iacob Rabelem amare defleuit, quanto equius aestimatis, plangere nostrum Ducem de mortuam suam SYBILAM ELISABETHAM dilectissimam: quippe, quae nulla parte, vel Sarae, vel Rabeli, vel ulli alii Foeminae, etiam splendidissimae, encomiisq; summis ornatissimae cessit; nisi quod citius, quam illa, ex terreno hoc mundi habitaculo, a volavit: O Pelagus lachrymarum, quas propter ereptam conjugem dulcissimam, Inclute Princeps, amare, hodierna in primis die, & forte hac hora, profundis! sed pone quae so modum dolori, nimis eum medullis insidere non patere: onus plangendi Tibi soli non incumbere statue: quin potius partem aliquam luctus, & mœroris debiti, à subditis religiosè solvi, certò persuasum habe. Ecquis enim omnium bonorum, qui Ducisse bujus intempestivum perpendens obitum, non letaliter quasi animum suum perfossum sentiat? quis inter vos non ita exhibet animum, ut non plausum, sed planctum, non fremitum sed gemitum, non risum, sed lessum edere & ostendere velle videatur? Morosos profectò esse, fibrãq; corneam, aut jecur adamantinum, roburq; & æs triplex circa pectus habere illos

O R A T I O

oportet, qui deplorandam banc cladem condolere nolent. Cecidit enim Princeps non annosa, sed iu-
 vencula; non rugosa, sed formosissima: Cecidit
 Princeps pientissima, cecidit corona capitis fra-
 grantissima, cecidit Patrona clementissima, Do-
 mina benignissima, Ducis nostri conjunx deside-
 ratissima! de qua plurima adhuc proferre, &
 prolixè ostendere possem, quàm omni laudum ge-
 nere absolutissima fuerit, quàm non minus opti-
 ma videri, quàm revera esse studuerit: sed nimi-
 um fortasse, mari & ventis me crederem: Vela
 proinde contraham, vobisq; & mihi ipsi parcam,
 ne assentationis studium (a quo abhorrent intima
 cordis penetralia) affectasse, cumulumq; doloris
 nimium auxisse existimer. Quanto enim plures,
 quanto prestantiores Principis defunctæ virtutes
 recenseo, tanto magis subinde vos contristari, &
 dolorem inter cursum oratiuncule istius magis ac
 magis apud vos augeri video. Illud saltem quasi
ἠμπεροῦν, & Auctarium addo, eorum, quæ D. Na-
 zianzenus de Gorgoniae laudibus scripsit, aliqua
 verba, ad unguem de Ducissa nostra dici posse: Sic
 autem eximius ille Theologus: De ipsa non mi-
 nus verè, quàm magnificè prædicari potest,
 quòd virtutes partim imitata est, partim ita se-
 gessit,

D. Nazi-
 anz. To-
 mo 2. fol.
 mihi 441.



gessit, ut earum ab ipsa exempla peterentur: quodque eas partim invenit, partim superavit. Atque ut demus, extitisse quosdam, qui unâ aliquâ virtute illi non cederent: at eo certò nomine mortales omnes (*HÆC*) vicit, quòd *VNA VIRTUTES OMNES COMPLEXA ESSET*: sic enim omnes virtutum numeros absolvit, ut ne mediocriter quidem unam, quisquam alius: sic rursus in unoquoque genere excelluit, ut vel unum solum instar omnium abundè sufficeret. O squalidum corpus, & indumentum virtute solâ florens! O noctes insomnes, & Psalmorum cantus, & stationem ex die in diem desinentem! Ô tenera membra! Ô nocturnum clamorem nubes penetrantem, ad Deumque pervadentem! Ô Spiritus fervorem, præ orationis desiderio, nec canes nocturnos, nec frigora, nec tonitrua, nec grandinem, nec tenebras extimescentem! *Hæc Nazianzenus de Gorgonia, & nos de nostra SIBYLLA ELISABETHA.*

Absolutâ priore orationis meæ parte, ad posteriorem nunc accessum facio, & tribus verbis eam complecti contendo: totam enim præterire per religiosam vobis factam stipulationem, non audeo.

Proinde, quia in Principe nostra compages

O R A T I O

corporis animæq; dissoluta, & in melius quidem Ducissa assumpta, nobis tamen è consortio humano, erepta est, nostrarum partium statuamus, mortem banc altius expendere, & quid cogitare ac facere nos deceat accuratius indagare. Neq; verò difficile existimo unicuiq; vestrum, ut ex obitu generosissimæ hujus Principis, commune mortalitatis speculum sumatis. Ita enim comparata eius spicula deprehenditis, ut laudatissima etiam corpora letaliter ferire minimè vereatur: Adeò verum esse videtis, quod alicubi Apostolus asserit, mortem in omnes homines pertransisse, ut nec Principibus, iisq; pientissimis & optimis parcat, Omnibus est eadem mors, omnibus equa minatur: Non amplissimis Ducum divitiis magis, quàm lacero mendicorum panno & pallio flectitur: non casas frequentius & tuguria, quàm turres, & palatia, Imperatoria etiam, & augustissima ingreditur: Non Iro magis, quàm Cræso, non magis Curio, quàm Augusto inimicatur. Quid dicam? Ea mortis est crudelitas, ut nullis oratorum gravissimis declamationibus, nullis Poëtarum suavissimis carminibus, nullis Logicorum acutissimis rationibus, nullis Theologorum ardentissimis precationibus, nullis Politicorum disertis

sertis

F V N E B R I S.

*fertis protestationibus, nullis Prætorum severis-
simis prohibitionibus, nullis Medicorum fortissi-
mis potionibus, nullis Equitum lanceis teretibus,
nullis peditum pennatis missilibus, strictisve mu-
cronibus absterreri & abigi se patiatur. Quin ur-
bes ipsas munitissimas, Aulas Attalicis etiam ta-
petibus decoratissimas, evertit, dissipat, demoli-
tur, desolatur, nihilq; planè intactum relinquit,
cui sue acerbitalis virus non propinet: quod telo
suo non fodicet, quem à tergo insequens, non avi-
dissime rapiat. Nobis ergo singulis eadem fata im-
minent, si enim lignum viride à marcore ac pu-
tredine immune esse non potuit, quid nobis im-
mortalitatem mundanam pollicemur? quid nos
arida ligna perpetuò duratura somniamus? Præ-
conis itaq; vicem nunc gerit funus defunctæ no-
stræ Principis, ut obitum illius intuentes, nos quo-
que mortales esse, nec vel honorum fastigia, vel
divitiarum incrementa, vel ætatis florentis prin-
cipia, vel humana ulla medicamenta, adversus
ictum mortis, quicquam valere discamus:*

Mors Dominum servo, mors scepra ligonibus æquat.

Mors nescit legem, tollit cum paupere Regem.

*Pensi habens hoc, Philippus Macedonum Rex,
quotidiè per puerum nobilem auribus suis incul-
cari voluit, memento Philippe te moriturum.*


Eandem

O R A T I O

Eandem ob causam Agathocli fictilibus vasis uti libuit, ut ansam mortalitatis humane considerande, luculentiore haberet. In morte profecto Constantinopolitanis quondam fuisse Isidorus commemorat, ut cum novellus Imperator primam vice imperatorium thronum occuparet, omnis generis marmora exhibita ipsi sint, Et questum, cujus coloris marmor, ad exstruendum quondam tumulum, adhiberi velit. Sic enim meminisse novissima, a peccatis homines potentissime praeservat. Itaque mortuam SIBYLLAM ELISABETHAM Illustrissimam, exanguem nunc, Et exanimem licet, sic universos nos alloqui, minime dubitate: Abii ego, obi ego: Princeps fui: pia fui: pulchra fui: laudata fui: Abeundum ergo Et vobis universis, obeundum Et vobis omnibus fuerit: neque vel principalis eminentia, vel pietatis excellentia, vel pulchritudinis elegantia, virtutumque splendidissimarum praestantia, mortis illa spicula acutissima elidere poterit.

Ceterum Auditores, non mortuam tantum, sed etiam cupide, Et cum desiderio vitam hac Principem excessisse, sciatis velim. Apud Christum esse omnibus terrae bonis Et commodis praeferebat: neque quisque ita perditum corpus amat, ut illa excussis
bis

his compedibus, atq; hâc fece, cum qua vivimus,
 superatâ, summo bono, purè adjungi, Eoq; quem
 amabat, addo etiam, à quo amabatur, toto per-
 frui cupiebat. Nunquid ergò æquum putatis, ut
 & nos vitam morti, eterna caducis, cœlestia ter-
 renis, humana divinis præferamus: eoq; nomine
 ex miseriarum ergastulo animam nostram libera-
 ri, unicè petamus? Stupenda profectò, & deplo-
 randa illa est multorum amentia, qui non nisi in-
 viti ad patriam supernam contendere solent: Ho-
 rum impiam stulticiam fugiamus, & exemplo
 Principis nostræ pientissimæ, cum jubilo & dele-
 ctatione ex lachrymarum valle migrantes, mor-
 ti ad limina properanti, animo imperterrito, qua-
 si obvii eamus: illud cogitantes, hîc planctum, il-
 lic plausum, hîc miseriam, illic meram felicita-
 tem vigere. Sed de his alibi commodius. Nunc
 ne justo diutiùs vos detineam, auresq; tenerri-
 mas, prolixitate odiosâ defatigem, ad finem pro-
 pero, illudq; ingemiscente pectore dico: funus hoc
 improvisum, magnæ iræ divinæ indicium luculen-
 tum esse. Eheu Oceanum iniquitatum, quæ tam
 acerbam cladem patriæ dederunt! quæ jacturam
 tantæ columnæ causatæ fuerunt! Doleamus Au-
 ditores, & veniam justissimum illum ἀπαρτημάτων
 E vindi-



vindicem seriorogemus: precibus indefessi inste-
mus, ne latius hostem vitæ infensissimum grassari,
ne limina amplius Illustrissimi Magistratus no-
stri ingredi, ne quenquã ex Principibus & Prin-
cipissis nostris Clementissimis trucidari, ne majori
pœnâ nos castigari patiatur. Verè, enim, & gra-
viter ait D. Ambrosius: Non virorum tantùm
magnorum, sed & fœminarum præcipuarum
funera mutationum ac calamitatum sunt præ-
nuncia. Enimverò nisi præcordia Domini con-
versione & orationibus assiduis propitia nobis
reddiderimus, pœna gravior & durior obstina-
tam nostram malitiam è vestigio sequetur: Vni-
versa universe iræ divine cataracta resalvetur,
furor justissimus super nos largissimè effundetur.
Contremiscite ergò omnes terræ Incolæ: seindite
corda vestra, & flammæ iræ ardentis sopire, pœ-
namq; decretam deprecari indefinenter studete.
Vos Ministri Ecclesiarum ite præ, ut sequantur
alii: Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, ut sit
pax & prosperitas in palatiis nostris. Et quia
nunc conjuncti sumus corpore, animis quoque &
spiritibus jungamur, & hoc pacto oremus:
Æterne Deus pater Domini nostri Iesu Christi,
cum Filio & Spiritu sancto, quæsumus te, ad ver-
te fa-

te faciem bonitatis, extende alas miserationis tuæ
 super nos: consolare Viduum mœstissimum, Prin-
 cipem nostrum Illustrissimum, ut onus à te impo-
 situm, patienter sufferre possit: recrea & refice
 animam ejus, præ mœrore summo ferè liquefa-
 ctam: Redeat nobis serenitas vultus tui: Resplen-
 deat Phœbus, & fugiant nubila: reluceſcat dies,
 & evanescant tenebræ: Conserva Generosissi-
 mam TRIGAM Saxoniam, Serenissimum Ele-
 ctorem Dn. Dn. Christianum II. & Illustris-
 simos fratres, Dn. Dn. Iohannem Georgium:
 Dn. Dn. Augustum, DVCES SAXONIÆ, cly-
 peos & scuta terræ nostræ: benedic conjugio Ele-
 ctoris nostri clementissimi, ut ex uxore Regiâ sua-
 vissimâ, HEDVVIGE ILLA laudatissimâ, (de
 cujus divinis planè virtutibus volumen integrum
 conscribi posset) hæredes complures, carissimos,
 virtutum paternarum & maternarum æmulos
 suscipiat. Florescat tuâ misericordiâ Domus In-
 cluta VVirtembergica. Assere undiquaq; ver-
 bum tuum, & Ecclesiæ latera, ruinam minitan-
 tia, brachio tuo fortissimo sustenta: reprime fu-
 rores Satane, Turcæ, Pape, & aliorum: Arce
 procul immanissimos Getarum acinaces: quibus
 publica calamitas ludus: cruor voluptas, planctus

O R A T I O

Et ejaculatus noster summa est delectatio: Da pacem Domine in diebus nostris: fac nos denique universos vas gratiae tuae, Et suo, quemque nostrum, tempore, vinculis miseriae solutum, fac transire de labore ad refrigerium, ex spe in rem, de militia ad premium, de agone ad brabeum, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de mœrore ad gaudium, de mundi hujus latericio contubernio, ad caeleste beatitudinis palatium, ubi laudabimus te aeternum DEVM, ex hoc, usque in secula seculorum,

A M E N.

D I X I.



REVE.

F V N E B R I S.

REVERENDO, CLARISSIMO ET
EXCELLENTISSIMO VIRO,

Dn. MATTHIÆ HOE,
Sacrae Theologiae Doctore, Ecclesiae Plavensis
Pastori & Superattendenti fidelissimo, Domino
Compatri & Collegæ honorando,

S. P. D.



*Cælum, ô terra, ô mare: quid? gemat orbis &
ather:*

*Illustrem Dominam mors inopina tu-
lit.*

Heu dolor! heu lachryma: eheu generosa propago,

Prædura Lachesis falce necata ruit

Atra dies lux atra ruit sevitq; per oras

Virtembergiacas Saxoniamq; domum.

Planctorem date Pierides, lacerate capillos

Nympha, Christiadum nunc gemat alma cohors.

Hoc amor, hoc pietas, hoc intemerata voluntas,

Officium, hoc probitas, hoc jubet alma fides.

Ipsa quidem luctus solvit nunc Terra Varisca:

Mæror adest animis, humor inest oculis.

Idq; haud immerito, meruit Celsissima virtus,

Hoc probitate sua, quâ redimita fuit.

Tuq; aded magnos edebas pectore luctus,

Quando ad prælustres ivimus exequias.

Ut lachrymas penitus stillaret nobile stemma,

Protinus & gemuit Turba verenda Patrum.

Mæsto animo squalida fuit hac sub luce Senatus:

Conqueritur qui vis: proh dolor! omnis ait.

E 3

Quos

C A R M I N A

Quos oculos flexit? quot Sermo pectora movit?
 Concio & in medio est humida facta tua.
 Quicquid id est, pietatis erit, celsissima, summo
 Inter mortales funera honore frui.
 Quod petimus, praestet Deus, & quod mente precamur,
 Hoc tribuat nobis sancta sacrata Trias.
 Plausu latifero nunc Dux generosa fruatur,
 Sit devota solo, sitq; sacrata DEO.
 Tu verò nobis edas solennia scripta,
 Quae divo dabas ingenio ac animo.
 Grates de grato referemus pectore & ore
 Egregias semper, Vir Reverende, Tibi.

Die 7. Martii 1606.

V. Exc. & R. D.
 observantissimus

M. Balthasar Heindelius, Eccle-
 siastes Plauensis suo & reliquorum
 Dioceseos Plaviensis verbi mini-
 strorum nomine,

A L I V D.

CONsilio Divum quoniam sublata SIBYLLA
 In requie & felix ELISABETHA Dei est;
 Saxonici fuerat JANI quae casta GEORGI
 Costa Ducis, Princeps foemina, pulchra, pia:
 Dumq; tuis resonant, Doctor celeberrime, justis
 Tristibus haec urbis curia, templa, schola:
 Eheu, nos omnes tam magna scralia luctu
 Effecere simul compatiante mori.

Con-

F V N E B R I A.

*Conscripti patres pullâ cum veste Senatum
Cogunt, tristitia ac debita signa ferunt.
Et non immeritò, rapuit nam flebile fatum
Heroam, qua non pulchrior ulla datur.
Quin magè, quæ palmam pietatis tumq̃, decori
Officii, à multis sumere digna fuit.
Ac quia nil aliud miseris hæc funera summa
Nobis portendunt, quàm mala multa fore.
Iratum oramus mutato corde parentem,
Mitis principibus parcat ubique viris.*

Iohannes Pölmann civis &
Senator Plaviensis.

F I N I S.



1711

Handwritten text, likely a title page or preface, in a historical script. The text is faint and difficult to decipher but appears to be organized into several lines.

1711



Handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or a date.

Datum der Entleiung bitte hier

Dieser Band wurde 1994 durch Bestrahlung sterilisiert. Verfärbungen stellen keine Gefahr dar.

H. Sax. C. 947

